

fiat, loca, & Oratoria quaecumque eatenus ubilibet recepta pro eorum perpetuis usu, & habitatione vigore concessionis Sixti, & Innocentij prædecessorum prædictorum retinere, construere, & edificare, seu construui, & edificari facere, absque alia desuper facienda noua concessione Apostolica. Et quòd deinceps Ordinis Minimorum huiusmodi Conseruatores (quoties opus foret) eidem Ordini Minimorum, ac illius personis, & fratribus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, ne dictus Archiepiscopus, seu eius officialis, aut alij quicumque cuiuscumque etiã nobilitatis, aut dignitatis existerent, Ordinis Minimorum huiusmodi fratres neque in dicta Diocesi Hispalensi, neque alibi in aliquo damnificare, molestare, perturbare, nec inquietare ullatenus auderent, sub excommunicationis late sententia pena inbibere possent.

Ecclesiis Ordinis quilibet Episcopus conferre potest, reuertente Ordinario.

S. 21. Quòdque Ordinis Minimorum huiusmodi fratres tunc, & pro tempore existentes prædictam Ecclesiam S. Mariae de Victoria, & generaliter omnes, & singulas alias eiusdem Ordinis Minimorum Ecclesias, & Oratoria quaecumque recepta, & recipienda, nondum consecratas, seu consecrata, facta prius requisitione ab Episcopis locorum, eisdemque recusantibus, vel negligentibus, per quemlibet alium catholicum Episcopum gratiam, & communionem dictæ Sedis habentem consecrari facere.

Prælati Ordinis possunt Ecclesias benedicere, & pollutas reconciliare. Vide 2. p. nostri Rituali in notab.

S. 22. Ac quòd ipsius Ordinis Minimorum Generalis, & Vigiles, ac Prouinciales, eorumque vicegerentes, omnes, & singulas eiusdem Ordinis Minimorum Ecclesias, Cæmeteria, Capitula, & Oratoria tam in dicta Diocesi Hispalensi, quam ubicumque receptas, seu receptas, & recipiendas, seu recipienda solemnibus benedictione benedicere, ac etiã illas, seu illa, & earum quamlibet sanguinis, siue seminis effusione, siue alias quomodocumque pollutas, siue polluta, quoties opus foret, aqua tamen prius per aliquem catholicum Antistitem (ut moris est) benedicta, reconciliare.

Frates aliterius Ordinis iam recepti permanent, &

S. 23. Ac quòd alterius cuiuscumque Ordinis fratres quicumque in dicto Ordine Minimorum, etiã prius non petita, aut non eo quo decet, modo petita licentia, iam re-

cepti, absque alia prouisione Apostolica, perpetuo in ipso Ordine Minimorum stare, & permanere. Ac idoneum confessionem, qui eos à quacumque excommunicationis sententia (quam propterea incurriscent) Apostolica auctoritate absolueret, secumque super irregularitate eadem de causa contracta dispensaret, sibi eligere possent.

S. 24. Quòdque singule Ordinis Minimorum huiusmodi Tutrices, prout ipsius Ordinis Fundatrices, etiam cum eorum utriusque sexus liberis procreatis, & procreandis, omnibus, ac singulis eiusdem Ordinis Minimorum priuilegijs, gratijs, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, indultis, concessionibus, & indulgentijs uti, potiri, & gaudere libere, ac licite valerent, licentiam, & facultatem concessimus, pariter, & indulgimus.

S. 25. Postmodum uero pro parte eiusdem Francisci de Paula similiter nobis exposito, quòd ipse, postquam præfatus Alexander prædecessor, Sixti, & Innocentij prædecessorum vestigijs inherendo, sibi ut nonnulla sui Ordinis Minimorum statuta componere, ac illa in melius emendare posset, licentiam concesserat, una cum aliquibus eiusdem Ordinis Minimorum patribus statuta ipsa composuerat, ac illa in melius emendauerat, illaque Correctorium fratrum Ordinis Minimorum perpetuo nuncupari, & per eosdem fratres Minimos perpetuis futuris temporibus obseruari, ac per nos benedici, approbari, & confirmari desiderabat. Nos per alias nostras Correctorium ipsum, quòd tunc diligenter inspici, & de uerbo ad uerbum inseri fecimus, approbauimus, & confirmauimus, ac nostri scripti patrocinio communiuimus, illudque per omnes Ordinis Minimorum huiusmodi fratres presentes, ac futuros pro suo salubri Correctorio perpetuis futuris temporibus teneri, & obseruari, ipsumque perpetuo Correctorium fratrum Ordinis Minimorum dicti Francisci de Paula nuncupari, ac in titulari debere decreuimus, & mandauimus.

S. 26. Successiue autem pro parte præfati Francisci de Paula etiam nobis exposito, quòd licet etiam ipse dictum Ordinem Minimorum instituisset, ac decem, secundum

absolui potuit, ac dispelari.

Priuilegia Ordinis Tutricibus, & Fundatricibus communicaui.

Correctorium confirmauit, & obseruari mandauit. Hæc confic habet in principio. Correctorium & incipit, Pallorialis.

Tres Regulas, prout man fratribus, 2. pro fororibus,